OBSERVATIONES CRITICAE

IN

AESCHYLI AGAMEMNONEM.

SCRIPSIT

J. C. SCHMITT

PHIL. DR.

MANNHEMII

EX OFFICINA SCHNEIDERIANA.

A. MDCCCLIX.

Inventuris inventa non obstant.

Senec. ep. 79, 6.

Permulta sunt quae VV. DD. et qui Aeschyli scriptis navaverunt et qui navant operam addubitanda adhuc et proficienda in eis reliquerunt: perpauca quae ipse eo nomine commentatus suppeditare atque subtiliori aliorum judicio diiudicanda ea spe ductus possum proponere non fore ut prorsus illis displiceant. sed quamvis habeam persuasum, quicunque ad Aeschyli, si ullius sunt scriptoris, impedita sane ac multimodis depravata opera vel emendanda vel interpretanda manus admoveat, ei tamquam aedium alienarum limen transire atque in penetralia intrare conanti »cave canem« illud ante oculos animumque obversari debere — sunt enim cum omnibus fere in rebus tum in eo loco duo potissimum periculorum genera, ne aut hebetiori judicio praeditus vitiose tradita tamquam vera comprobet ac defendat aut nimia sui acuminis fiducia elatus in vesanam mutandi novandique abripiatur temeritatem —: ipse tamen ut quid hac in re valerem periclitarer quaeque recte mihi vidisse videbar ut in medium proferrem, id statuens commovebar, opus quodque difficilius, ut ni mirum illa est Aeschyli fabula Agamemno inscripta, dummodo pro sua quisque cogitandi percipiendique indole diligenter pertractet atque sincere diiudicet, aliquid semper bonae frugis inde in majorem ejus vel sinceritatem vel perspicuitatem redundare.

Pauca sunt praeterea quae huic disputationi praemittere libet. editionem Schneidewinianam cum omnino pro ejus fundamento esse volo tum singuli hic versus iisdem quibus illic notati leguntur notantur numeris. quae vero VV. DD. et ante Schneidewinum in quibus unum G. Hermannum summis laudibus prosequor et post eum in

quibus honoris causa Karstenium Hartungium Engerum Lud. Kayserum Dindorfium Rauchensteinium nomino ad Agamemnonis emendationem contulerunt, ea in singulis quos nobis examinandos proposuimus locis quoad videbitur eaque qua par est habita ratione perpendentur. verum nulla sit nobis altercatio cum eo libro qui Henr. Weilio auctore Giessae nuperrime in lucem prodiit in quo vir iste doctissimus Aeschyli tractandi viam iniit quae ultra eam quam cautius nos in exercenda arte critica insistemus evecta longiusque ab ea remota videatur.

I.

Ac primum quidem pristinae Agamemnonis integritati non male me consuluisse puto, si versus aliquot, ut qui aut non sint hujus fabulae aut omnino non ab Aeschylo profecti, expungendos hinc docuero.

Quod in insiticiarum partium genus verba *ἀπύρων ἱερῶν* referenda censeo v. 70. sic enim libri: *οὔθ' ὑποκλαίων* (quod manifesto corruptum verissime iam emendavit Casaubonus *ὑποκαίων* corrigens) *οὔθ' ὑπολείβων οὔτε δακρύων ἀπύρων ἱερῶν ὀργὰς ἀτενεῖς παραθέλξει.* atqui verba *ἀπύρων ἱερῶν* quanto quis diutius considerabit tanto minus intellectu ea carere infitiabitur: neque profecto potest aliter quam contorta quadam interpretatione aliqua iis sana attribui vis aut perspicua cum ceteris coniunctio. nil enim subsidii huic quidem loco ab Hesychii glossemate illo petendum est »*ἀπύρου-ἀθύτου*« et universa quae inde concluditur argumentatio vacillat et claudicat. quocirca si aperte vis iudicare, duo illa verba in interpolationis suspitionem quam maxime voces et a poeta abiudices oportet cujus quidem interpolationis originem si quaeris, ita factum esse veri simillimum videtur, ut ad interpretanda vocabula *ὑπολείβειν* et *δακρύειν* in vetustiori libro glossa »*ἄπυρα ἱερά*«

— et id quidem recte, si eorum contrarium respicis quod est ὑποκαίειν — in margine primum fuerit adscripta, post autem, ut saepissime usu venisse constat, a recentiori aliqua manu ad anapaestorum numerum quantum fieri poterat redacta in orationis continuationem insereretur. quibus igitur sublatis versum monometrum οὔτε δακρύων recuperamus quo versibus 46, 53, 58 collatis eo aegrius hoc anapaestorum systema (vv. 67—71) potest carere, quo graviori cum vi versus subsequens qui dicitur paroemiacus ὀργὰς ἀτενεῖς παραθέλξει et sententiarum nexum distinguit et numerorum dirimit seriem. aliam restituendi huius loci rationem G. Hermannus secutus poetam fecit scribentem: οὔθ' ὑποκλαίων οὔθ' ὑπολείβων ἀπύρων ἱερ. ὀργ. ἀτ. παρ.

Item in stasimi primi epodo quae leguntur verba τούτων αἰτεῖ ξύμβολα κράναι (var. lect. κρᾶναι) δεξιὰ μὲν κατάμομφα δὲ φάσματα στρουθῶν (c. Med.) nil nisi futilis partim ex genuinis poetae verbis partim ex disceptis variis et glossarum et scholiorum particulis sine sensu commixta congeries esse facile coarguuntur. etenim ponamus antiquius exstitisse scholion tali fere modo conceptum: τούτων αἰτεῖ (Calchas videlicet) ξύμβολα (θηρῶν puta ἀγρονόμων qui praecedunt signa s. portenta) κρᾶναι ἤτοι τελέσαι, ἀντὶ τοῦ φάναι τελεσθῆναι: atque inde demum emanasse utrumque quod exstat etiamnum scholion et codicis Med. plane deformatum: τὰ σύμβολα αἰτεῖ με φάναι (Dindrf. ed. 3 prf. p. XLI κράναι corr.) κτλ. et codicis Farn.: τελέσαι ἀντὶ τοῦ φάναι τελεσθῆναι nescio an recte quis suspicetur; fac deinde verbi ξύμβολα explicandi causa voc. φάσματα idque ex v. 259 fortasse haustum fuisse adscriptum; porro genitivum στρουθῶν ab alio eoque recentiori interprete pone eo intellectu appictum ad τούτων illud, tamquam si »passerum« ex Iliade notissimum augurium ut bene eveniret Calchas hic ad deos esset precatus. quae autem reliqua sunt verba ξύμβολα κράναι et δεξιὰ μὲν κατάμομφα δέ ipsius esse verba poetae id quidem addubitari nequit; sed suo esse loco exturbata in unumque temere conferta vel inde satis patet quod in protasi nondum de peculiari aquilarum augurii ambiguitate

quae verbis adumbratur δεξιὰ μὲν κατ. δέ cogitari poterat. quae si recte disputavimus, arti criticae omnino erit satisfactum, si totam epodum hunc fere in modum transformaverimus:

τοσον περ εὔφρων ἁ καλὰ
δρόσοισι λεπτοῖς μαλερῶν λεόντων
πάντων τ' ἀγρονόμων φιλομάστοις
θηρῶν ὀβρικάλοισι
τερπνὰ ξύμβολα κράναι·

haec enim est protasis, quod eodem fere redit ac si soluta in oratione modo concessivo dixeris; οὕτως εὔφρων οὖσα — quemadmodum scilicet antistropha exposuit — κραναι μὲν ἡ καλὴ κτλ'.: deinde apodosis: ἰήϊον δὲ καλέω Παιᾶνα et deinceps quo modo edidit Schneidewinus usque ad — ἀπέκλαγξεν

μορσιμ' ἀπ' ὀρνίθων ὁδίων οἴκοις βασιλείοις
δεξιὰ μέν, κατάμομφα δὲ - υ·
τοῖς δ' ὁμόφωνον
αἴλινον αἴλινον εἰπέ, τὸ δ' εὖ νικάτω.

ad δεξιὰ-δὲ participium requiri recte vidit Dindorfius (l. l. p. XLIII.), quo facto tetram. dactyl. catal. in disyll. efficitur qualem versus 145 exhibet in verbis ξὺν μεγάλοις ἀγαθοῖς ἀπέκλαγξεν. quod autem vir ille doctissimus supplevit φαίνων, eam ob causam inde assensio cohibenda videtur, quod φαίνειν ipsius Jovis portendentis (vid. Il. v. c. B. 324; Od. γ, 173, υ. 101 et 114, φ. 413) esse solet, non vatis augurantis. iam quod τούτων αἰτεῖ et στρουθῶν in marginem ableganda statuimus, non minima huic sententiae quae olim iam nobis succurrerat Dindorfii auctoritate post accrevit confirmatio. idem vero retinuit φάσματα quod equidem et ipsum glossema esse et participii quod nunc desideratur locum occupasse pro certo habeo. sed quid re vera valeant ξύμβολα illa, bene explicat scholiasta Euripideus ad Med. 602 ed. Schöne; nam idem sunt quod tesserae hospitales Romanorum, unde efficitur dictionem τερπνὰ ξύμβολα κρᾶναι hunc in sensum esse accipiendam ut sit »gratis beneficiis aliquem afficere.« λεπτοῖς denique

utramque librorum scripturam ἀέπτοις et ἀλέπτοις inde originem duxisse ratus recte, ut mea fert opinio, restituit Wellauerus.

Neque sane melioris notae duos praeterea versus in hac fabula indagasse mihi videor, versum 515 et 1568. iam quod ad priorem attinet, etsi editorum adhuc nemo νοθείας suspitione eum adspersit aut eo saltem quem obtinet loco removendum notavit, nihilo minus fieri id debebat ipsius loci argumento accuratius perpenso. praeconis oratio in verbis desinit διπλᾶ δ' ἔτισαν Πριαμίδαι θἀμάρτια (Herm. corr. θἀμαρτία) h. e. duplicia sua peccata luerunt Priamidae. et primum quidem numquid Priamidae? at ex praeconis opinione (vv. 510—514) non nisi cum Paride a quo videlicet universa stat civitas (συντελὴς πόλις) Agamemnoni res est et ejusdem peculiare πάθος persequuntur verba ὀφλὼν γὰρ ἁρπαγῆς τε καὶ κλοπῆς δίκην τοῦ ῥυσίου θ' ἥμαρτε καὶ πανώλεθρον αὐτόχθονον πατρῷον ἔθρισεν δόμον. ergo concludendum erat ἕνος δ' ἔτισαν Πριαμίδαι θἀμάρτια· porro quaenam deliquerunt Priamidae et quaenam peccata luerunt? universum Priamidarum genus num quid deliquerit ignorat praeco neque omnino scire curat. sed quaenam sunt duplicia eorum peccata? ἁρπαγή nimirum et κλοπή. at haec sunt solius Paridis et quoniam arctissime ista crimina inter se conjuncta sunt ut quae uno eodemque facinore nitantur, neutiquam ut διπλᾶ discerni possunt. verum accipe dum adjectivum διπλᾶ adverbii vi positum pro διπλῇ, ut Schuetzius accepit et Engerus. concedo accipio: dupliciter igitur luerunt h. e. duplices peccatorum poenas expenderunt Priamidae quae quidem poenae si quales sint quaeritur, pro rerum continuatione nihil aliud ex antecedentibus elici potest quam ἁμαρτεῖν ῥυσίου et θρίζειν-πατρῷον δόμον. atqui ne id quidem praeter unum Paridem est alius cuiusquam. ergo vide quanto rectius dixisset praeco διπλῇ δ' ἔτισε Πριαμίδης θἀμάρτια. Priamidam autem intellegi vellet Paridem. sed tantum abest ut mendum aliquod illis verbis qualia praebent libri subesse arioler, ut versum integrum hinc saltem exterminandum et, quo sit referendus cum nesciam, in marginem certe

unde ab inscita manu ille est extremis praeconis verbis agglutinatus reiiciendum censeam. accedit quod et versu antecedente 414 iusto modo iam absolvi praeconis orationem et—vel nulla eorum quae modo disputavimus habita ratione—perquam laxe prioribus esse annexum, ne dicam prorsus languidum subsequi illum de quo egimus versum vix quisquam infitiari potest. ceterum satis est probabile nihilo secius eum Aeschyleum esse quippe ex alia quadam ejus fabula, ut versum 514 aliquatenus illustraret, depromptum.

Eodem fere modo ipsius rei perversitas sententiaeque inconcinnitas versum 1568 a nostra quidem fabula alienissimum eamque ob causam spurium denotat. ac primum quidem Schneidewino in eis magnopere assentior quae de versuum 1567—1570 emendatione in appendice protulit p. 247, excepto tamen quod versus iste parum habebat apud eum offensionis. Plisthenes enim, ut Tzetzes (Exeges. in Il. p. 68, 20; vide Hesiodi frg. 105 ed. Goettl.) memoriae prodidit, *καθ' Ἡσίοδον καὶ Αἰσχύλον καὶ ἄλλους τινὰς Ἀτρέως* filius erat, *Πλεισθένους δὲ Ἀγαμέμνων καὶ Μενέλαος*, qui *νέου Πλεισθένους τελευτήσαντος ὑπὸ τοῦ πάππου Ἀτρέως ἀνατραφέντες Ἀτρεῖδαι πολλοῖς ἐνομίζοντο.* valet igitur patronymicum *Πλεισθενίδαι* quo Aeschylus in nostra fabula usus est v. 1536 idem quod *Ἀτρεῖδαι* atque eadem ratione Orestes *βασιλεὺς Πλεισθενίδης* appellatur a Stesichoro frg. 42 ed. Brgk.. inde efficitur nostro quoque loco verbis *πᾶν τὸ Πλεισθένους γένος* non universam Pelopis domum, sed Atrei solius progeniem significari. iam vero quomodo manifestam quae inde exsistit difficultatem expedire placet interpretibus? versum 1570 *οὕτως* (sic vulgo; rectius cum Schneidw. *ἀρᾶτ'*) *ὀλέσθαι πᾶν τὸ Πλεισθένους γένος* ita subiungi prioribus verbis affirmant adnotantes, ut accuratius ea definiantur. eiusmodi igitur aucupari opus est latebram. at poetam ideone falsa praemisisse, ut in sequentibus substituat vera? atque scripsisse eum quicquam quod, si scripsisset, et ipsius consilium omnino converteret ac detorqueret et audientium animos in con-

trariam plane partem commoveret? id autem fit, si poeta Aegisthum verbis illis male ominatis non Atridas solum, sed universam Pelopis domum, in ea igitur Thyestis quoque progeniem adeoque se ipsum facit exsecrantem. neque tamen Aegisthi est tale quid incaute aut agere aut dicere qui paullo ante (vv. 1545—1565), Thyestem patrem ut omni domesticae calamitatis crimine expediret omnemque culpam in Atreum avunculum traiiceret, singulari calliditate elaboravit. haec si tenemus quae mihi quidem non videntur posse refelli — neque enim hic, ubi summi res agitur momenti gravissimaque verba sollemniter referuntur, in Atridarum dico exsecratione, locus datur eiusmodi ambiguitati qua una cum Atridis et ipsi Thyestidae deorum irae consecrentur — nil relinquitur quam ut versum illum, etiamsi non est cur omnino Aeschylo abiudicemus, huic tamen abripiamus fabulae. quo facto vv. 1577—1570 pulcherrime ita procedunt:

> ᾤμωξεν, ἀμπίπτει δ' ἀπὸ σφαγὴν ἐμῶν·
> λάκτισμα δείπνου δ' ἐνδίκως τιθεὶς ἀρᾷ
> ἀρᾶτ' ὀλέσθαι πᾶν τὸ Πλεισθένους γένος.

σφαγὴν quod edidi Hartungii est atque traditae lectionis vestigiis (σφαγῆς) propius insistit quam quod Schneidewinus scripsit σφαγάς.

Aliud depravationis genus in eis deprehenditur locis quibus, ut bene procedat oratio, ita medendum est ut versuum in quibus quisque continetur ordo perturbatus restituatur in integrum. cuius quidem generis duo mihi praesto sunt exempla. sunt autem alterius loci versus 1161—1164 quos etsi iam G. Hermannus recte a se digestos confisus est cuius in auctoritate ad unum omnes deinceps acquieverunt editores atque interpretes, nihilo secius an aliter dispositi aptiorem etiam elegantioremque sententiarum praebeant colligationem dubito. hoc enim ordine sine eos sese excipiant:

Cass. μάντις μ' Ἀπόλλων τῷδ' ἐπέστησεν τέλει.
Chor. ἁβρύνεται γὰρ πᾶς τις εὖ πράσσων πλέον.
Cass. πρὸ τοῦ μὲν αἰδὼς ἦν ἐμοὶ λέγειν τάδε.
Chor. μῶν καὶ θεός περ ἱμέρῳ πεπληγμένος;
Cass. ἀλλ' ἦν παλαιστὴς κάρτ' ἐμοὶ πνέων χάριν.

ad chori igitur verba quae praecedunt: θαυμάζω δέ σου,
πόντου πέραν τραφεῖσαν ἀλλόθρῳ 'ν πόλει
κυρεῖν λέγουσαν, ὥσπερ εἰ παρεστάτεις.

Cassandra respondit: non est quod mireris, ipse enim deus Apollo huic me praefecit vaticinationis muneri. tum chorus: superbe scilicet atque insolenter, quamquam superbire non hominum est nisi in rebus secundis versantium; tu autem rebus istis adversis incitata, ut videtur, tam insolenti indulsisti ostentationi. ad haec Cassandra: id ne prius tibi profiterer, pudor prohibuit ac verecundia: verendum enim erat ne, si prius ostenderem quam manifestis documentis fides divinationis meae tibi esset, ut nunc est, comprobata, parum illud tibi persuaderem, immo nil nisi deridendi mei darem facultatem. tum chorus aliam praeter eam quam virgo excusavit causam αἰδοῖ illi subesse suspicans non sine quadam cavillatione interrogat: μῶν καὶ θεός περ ἱμέρῳ πεπληγμένος; ad quod e prioribus revocandum est τῷδ' ἐπέστησεν τέλει idque non minus commode quam in ea fit quae Hermanno placuit versuum dispositione. nunc demum suspitione illa neque ea prorsus inani iniecta Cassandra distincte rem aperire audet. quod autem supra scripsimus ἀλλόθρῳ 'ν πόλει pro l. v. ἀλλόθρουν πόλιν, Engeri elegantissima est emendatio de qua pluribus disseruit in Muetzellii annall. a. 1856 fasc. X. p. 726.

In altero quem supra indicavimus loco quique legitur inde a versu 862 usque ad v. 870 primus quod sciam G. Hermannus vidit vulgarem trium versuum 866—868 ordinem non recte se habere. qui vero quo modo sit restituendus licet ambigi possit, satius equidem tamen duxi adstipulari viro illi egregio nisi quod non γαληνὸν ἦμαρ — male enim ἦμαρ ad γαληνόν quadrare cum per

se intellegitur tum luculentissimus quem ex Luciano afferam testis est locus: οὐχ ὁρᾷς ὡς αἴθρια μὲν τὰ ἄνωθεν, ἀκύματον δὲ καὶ γαλήνιον ἅπαν τὸ πέλαγος ὅμοιον ὡς εἰπεῖν κατόπτρῳ (Halc. §. 2) — sed γαληνὸν οἶδμα δ' potius scribendum censeo in quo vix erit quod verba sic construenda moneam, ut γαληνὸν modo praedicativo quod dicitur ad εἰσιδεῖν referendum esse: οἶδμα quod tempestate finita (ἐκ χείματος) γαληνὸν εἰσιδεῖν ἐστίν. id si recte divinatum videtur, nil est quod de propria et ubique fere usitata illius vocabuli notione qua »aestus maritimos sive mare tumidis fluctibus aestuans« significat — velut omissis locis Homericis in Simon. frg. 86, 3; in Soph. Antig. 335—337 et 588—592 ed. Brgk.; item in Pind. frg. 206: τέρπεται δὲ καί τις ἐπ' οἶδμ' ἅλιον ναΐ θοᾷ σῶς διαστείβων. — immo ad rem quam spectat comparatio optime cadit quae in verborum γαληνὸν οἶδμα inest sententiae ambiguitas et quam maxime ex Aeschyli more est contraria id genus inter se connectere h. e. ὀξύμωρα captare cuiusque generis. quibus igitur concessis jam haec prodit loci scriptura:

λέγοιμ' ἂν ἄνδρα τόνδε — ὑψηλῆς στέγης |
στῦλον ποδήρη, μονογενὲς τέκνον πατρί,
ὁδοιπόρῳ διψῶντι πηγαῖον ῥέος·
γαληνὸν οἶδμα δ' εἰσιδεῖν ἐκ χείματος
καὶ γῆν φανεῖσαν ναυτίλοις παρ' ἐλπίδα.

inde vero versu subsequente 879 praetermisso statim ad verba τοιοῖσδέ τοί νιν ἀξιῶ προσφθέγμασιν in quibus septem illarum similitudinum series comprehenditur et concluditur transeundum esse et Blomfieldius iam sensit qui versum illum insiticium iudicavit et Engerus declaravit eo quod post verba ἀπενθήτῳ φρενί, ergo post v. 862 eum inseruit. at poetam verborum parcissimum de tantae tamque apertae tautologiae insulsitate suspectum habere, ut tale quid scripserit?:

νῦν, ταῦτα πάντα τλᾶσ', ἀπενθήτῳ φρενί —
τερπνὸν δὲ τἀναγκαῖον ἐκφυγεῖν ἅπαν —
λέγοιμ' ἂν κτλ.

in quo verba τερπνὸν-ἅπαν parenthesis loco inter ἀπενθήτῳ

φρ. et λέγοιμ' ἂν inserta verbis discrepantibus eandem prorsus iterant sententiam quae verbis ταῦτα πάντα τλᾶσα jam satis expressa est. quare nescio an ita rectius statuendum videatur versum 879 cum verbis νῦν ταῦτα πάντα τλᾶσ' ἀπενθήτῳ φρενί ob rei similitudinem apte comparatum et ad archetypi marginem adscriptum mox inde in ipsa auctoris verba transmigrasse. ultra autem quam par est G. Dindorfius in eis progressus est quae nostro de loco protulit in editionis suae prf. p. XLVII; in vv. 862—879 enim ait diversissimas comparationes ita esse cumulatas ut non Aeschylum, sed Theodorum Prodromum similesque poetas audire videamur qui in hoc exaggeratarum descriptionum genere multum studii posuerint. de quo jam vereor ne non satis circumspecte sit affirmatum. ergo omnia ista circumsepta sunt cancellis et abiecta; v. 870 τοιοῖςδέ τοί νιν ἀξιῶ προςφθέγμασιν retinebitur? quod perquam mirum. sed ne quid offendas in hac comparationum abundantia atque cumulatione id ante omnia est animadvertendum inde a verbis νῦν ταῦτα πάντα eqs. usque ad ἠνειχόμεσθα (vv. 862—872) Clytaemnestram non ad Agamemnonem conversam loqui sed ad chorum, inde a verbis demum νῦν δέ μοι, φίλον κάρα eqs. ad ipsius coniugis appellationem redire. atque senibus illis ut quantum possit de fide sua atque morum integritate persuadeat vide quantopere poeta egregius illam faciat enitentem. uno scilicet verbo satis est affirmasse vera, sed ad falsa probanda et ementita vix centum effudisse sufficit.

II.

Quibus disputatis jam ad disceptandos aliquot progrediamur locos quorum in scriptura qualem quidem plus minusve depravatam prodiderunt codices mss. cum nullo pacto sit acquiescendum, sive correcturis quas aliqua

semper librorum ope fieri constat, sive, cum prorsus ea sumus destituti, libere verumtamen caute factis coniecturis subveniamus eis oportet. sed priusquam hanc disputationis meae partem persequar, duorum versuum censuram absolvere placet quibus in edendis non adduci possum ut aliorum sententiis obsecutus a librorum auctoritate recedam: hi autem sunt versus 784 et 1427—1429. in priori loco defendo quod libri exhibent τῷ δ' ἐναντίῳ κύτει | ἐλπὶς προσῄει χειρὸς οὐ πληρουμένῃ quod facili negotio hunc in sensum intellegitur: ad alteram vero—absolventium puta—urnam, ut quae nullius calculum iniicientis dei manu impleretur, mera accessit Spes. subiicio locos aliquot ex ipso scriptore nostro allatos Eum. 557 σάλπιγξ βροτείου πνεύματος πληρουμένη, Sept. 445 Φιμοὶ—μυκτηροκόμποις πνεύμασιν πληρούμενοι, frg. 305, 6 Αἴγυπτος ἁγνοῦ νάματος πληρουμένη, qui sint documento neque hoc nostro loco quicquam posse admitti quo verbum πληροῦσθαι casu suo χειρὸς nudetur; is enim notioni ejus vacuae per se et inani necessarium addit supplementum. — In edendis versibus 1427—1429 Hermannus et Engerus lectionem vulgatam aequo plus repudiaverunt. namque pro ἥτις ἦν, quod ex interpretatione additum patet, dummodo tale quod verbum restituas quale glossematis illius indigere videretur interpreti, id quod nescio an cadat in participium φῦσα, satis bona est sententia verborum

[ἣ] πολύμναστον ἐπηνθίσω αἷμ' ἄνιπτον
φῦσα τότ' ἐν δόμοισιν
ἔρις ἐρίδματος, ἀνδρὸς οἰζύς

si quidem haec eis subiicitur: »multum profecto recordandum illum neque eluendum inde adspersisti tibi sanguinem, quod domi tum (in Menelai videlicet regia) exitiosa rixa, coniugis maeror (h. e. res s. materia rixae atque maeroris) exstitisti.« his igitur verbis chorus, postquam et publicas et privatas quas Helena concitavit calamitates enumeravit (vv. 1418—1426), ad ejus raptum vel potius fugam recedens iam in hoc scelere quippe in omnium malorum principio ac fonte Helenam infinitae caedis insequentis

auctorem conspici ostendit. sed ut aliquam explicationis meae reddam rationem, haec adnotasse sufficiet: ἐρίδματος sicut v. c. καρδιόδηκτος v. 1439 sensu activo dictum significat »vehementer opprimens, omnia funditus evertens s. penitus pessum dans«: ἔρις spectat ad contentionem inter Menelaum et Paridem, inter Graecos et Troianos, οἰζύς ad Menelai maestitiam de qua chorus iam supra egit in stasimi II. stropha 2; verba autem quae mox sequuntur ἀξύστατον ἄλγος ἔπραξεν (v. 1435) cruentam discordiam inter Agamemnonem et Clytaemnestram e Troiana expeditione coortam adumbrant cuius rei mentio in eis versibus facta videtur qui inde a νῦν δὲ τελείαν in secundo anapaestorum systemate exciderunt: ἄνδρα et γυναῖκα saepissime maritum et uxorem valere (vide v. c. vv. 1360 et 1400) quis ignorat? quod autem Schneidewinus pro ἥτις ἦν coniecit οὖσα, quamvis bene ad sensum inventum verebar ne parum conveniret orationi poeticae neque satis necessariam lectori offerret interpretandi causam.

Sed illuc redeamus unde sumus digressi, ut permultis e locis ubi librorum memoriae diffidendum est eligamus eos quorum ad emendationem, sive in nullius adhuc reprehensionem incurrerunt sive alii iam viri docti in corrigendis eis consumserunt operam, non nihil conferre posse videmur.

V. 126 vocabulum κνεφάζειν ab hoc loco discrepare quippe absurdum ad eius sententiam non opus erit pluribus exponere. ultro quasi se offert σκεδάζειν, ita ut προτύπτειν »prius percutere« causam exhibeat qua στόμιον μέγα Τροίας h. e. Graecorum exercitus, dissipetur. quod autem Rauchensteinius divinavit (Aarauer Schulprgr. a. 1858) poetam scripsisse δαμάσῃ ideo displicet quod δαμάσαι amplioris est notionis neque satis concinne rem de qua agitur designat.

V. 358 libri praebent πέφανται δ' ἐγγόνους (v. l. ἐκγόνους) ἀτολμήτων ἄρη πνεόντων μεῖζον ἢ δικαίως κτλ. quibus profecto nil corruptius; sed quomodo huic loco subveniendum quaeritur. iam cum Hermanno, si placet, ita scribendum

puta: πέφανται [ad id quidem subiecti loco ascisci iubet enunciationem antecedentem quae est θεοὺς βροτῶν ἀξιοῦσθαι μέλειν.] δ' ἐκγόνοις ἀτολμήτως Ἄρη πνεόντων μεῖζον ἢ δικαίως. sed primum quid »posteri Trojanorum« — Troianos autem summatim produnt verba quae praecedunt ἔχουσιν et ἔπραξαν: cf. etiam v. 342 — hic ad rem ut qui majoribus oppressis nulli iam exsistere putandi sint? neque profecto magis illos quam unumquemque de divina rerum humanaram procuratione ac vindicta admonitum vult poeta. qnare non male ad sensum coniecit Hartungius Aeschylum dedisse πέφανται δ' ἐκτίνουσα τόλμα τῶν Ἄρη πν. κτλ. id quod probavit Engero. verumtamen vide ne propensius ad loci veritatem sit pro ἐγγόνους librorum scribere ἐγκρατής cuius quidem vocis vestigium apud nostrum exstat in Prom. v. 55: κράτος ἐγκρατές. et ex usitatissima dictione ἐγκρατὴς γίγνεσθαι s. εἶναί τινος quod est »alicuius potentem, aliquo superiorem esse s. fieri« facile colligitur huius loci verba, si quidem vera est eorum coniectura: πέφανται δ' ἐγκρατὴς ἀτολ. Ἄρη πν. κτλ. ita intellegenda esse: superior factus est, victor ac vindex exstitit Jupiter eorum qui eqs.; est enim ex praeeunte ἔκρανεν Ζεὺς ita eliciendus ut, verbis οὐκ ἔφα — ἀσεβής sermonis perpetuitati interpositis, in contrariam partem ad ea quae huic interclusioni antecedunt revertatur oratio: »fuit quidem qui hominum delicta deos curare sceleste negaret, sed, quod quidem ad Troianos, secus res cecidit.« tali vero modo si conformatam atque circumscriptam tenemus orationem, non admodum offensioni esse potest numerum singularem (Ζεύς) post n. pluralem (θεοί) inferri. quod denique ad reliquam huius strophae partem, verba φλεόντων δωμάτων ὑπέρφευ id spectare puto ut causam afferant cur iusto maiorem Troiani Martem spiraverint. εὖ πραπίδων λαχεῖν in eandem sententiam accipiendum est qua scriptum legimus in Eumen. v. 526 ὑγίειαν φρενῶν atque ita argumentatur chorus: »absit mihi igitur πλοῦτος qui non est ἀπήμαντος h. e. qui κόρον gignit et ὕβριν, immo acquiescere iuvat in vera mentis sanitate-vel quod idem valet — ἐν

τῷ εὖ πραπίδων λαχεῖν.« unde satis elucet egregie errare qui in κἀπαρκεῖν comprehendi putent καὶ ἐπαρκεῖν. ceterum eandem sententiam locus quidam persequitur Theognideus quem quin illustrandi causa huc adiicerem abstinere non potui (vv. 1171—1175):

γνώμην, Κύρνε, θεοὶ θνητοῖσι διδοῦσιν ἄριστον
ἀνθρώποις· γνώμη πείρατα παντὸς ἔχει.
ὦ μάκαρ, ὅςτις δή μιν ἔχει φρεσίν, ἦ πολὺ κρείσσων
ὕβριος οὐλομένης λευγαλέου τε κόρου.

atque eiusdem rei auctor est Sappho (schol. Pind. Ol. II, 96: frg. 80), ὁ πλοῦτος ἄνευ τᾶς ἀρέτας οὐκ ἀσίνης πάροικος, quibus aptissime ad nostrum locum haec addit scholiasta: ἡ δ' ἐξ ἀμφοτέρων κρᾶσις εὐδαιμονίας ἔχει τὸ ἄκρον.

De vv. 394—395 novissime egit Dindorfius in editionis praef. p. LXV. atque ipsa Aeschyli verba V. D. repperisse sibi visus est scribendo: πάρεστι σιγὰς ἀτίμας ἀλοιδόρως ἄστους ἀφημένων ἰδεῖν quod merito vereor ne parum in se habeat commendationis. nimirum reiecit ille, ut fere assolet, Hermanni emendationem, in qua dum pro ἀτίμους receperis ἀλήστους quod ipse Hermannus olim coniecerat, non video quid minus criticae legibus repugnet aut quid aptius sententiae excogitari possit:

πάρεστι σιγὰς ἀλήστους ἀλοιδόρους
αἴσχιστ' ἀφειμένων ἰδεῖν.

»ecce dum turpissime desertorum (Menelai imprimis) silentia non obliviosa (raptae videl. uxoris) neque tamen maledica.« minime enim vates domesticos decet ea quae vocabulo ἀτίμους continetur acerbitate tamque prorsus indigna libertate invehi in regem dominumque.

Sicut hoc loco, ita v. 425 quoque tuenda et recipienda mihi videntur quae inventa a se Hermannus ipse reiecit: ἔμμορφοι igitur quod ex Paleii interpretatione qua lectionem is vulgarem εὔμορφοι illustrari posse putaret »integro corpore, non combusti«, poetae scribendum fuisse ille adnotat, dum ipse contra librorum amplectitur auc-

toritatem, nihilo minus et quamquam vocabuli illius vestigium in scriptoribus prioris aetatis nusquam nisi apud Plutarchum (Num. 8: ἄγαλμα ἔμμορφον idem quod εἰκὼν ἀνθρωποειδὴς καὶ ζῳόμορφος quod paullo ante scriptum legitur) reperire poteram, vere tamen Aeschyleae indolis esse mihi videtur cujus quidem significatio luculentissime convenit cum versibus antecedentibus qui varia persequuntur lamenta de eis quorum πυρωθὲν βραχὺ ψῆγμα in patriam pervenit ab amicis cognatisque eorum rite edita.

Vv. 735—737 qui tertii stasimi sunt strophae quartae ita scribendos censeo:

φιλεῖ δὲ τίκτειν ὕβρις
μὲν παλαιὰ νεά —
ζουσαν ἐν κακοῖς βροτῶν ὕβριν
τότ' ἢ τότ', εὖτ' ἂν ἐπὶ τὸ κύριον μόλῃ
φάος σκότου κτλ.

h. e. omni tempore quandocunque advenerit iusta s. opportuna lux — caliginis: σκότου igitur, non ἡμέρας s. ἡλίου φάος opportunum tempus est quo ὕβρις vetula ovis quasi incubans atrum procreat fetum, quod ὀξυμώρου exemplum haud indignum videtur. eiusdem generis est μελαμφαὲς ἔρεβος apud Eur. Hel. 518; νυκτιλαμπὴς διόφος apud Simon. C. frg. 37, 8; κελαινῆς νυκτὸς ὄμμα apud nostrum in Pers. 423 et quae sunt alia id genus. τότ' — μόλῃ quod scripsi debeo L. Kaysero (Münch. Gel. Anz. 1857. p. 633). — κακοὶ βροτῶν fundum quasi atque solum exhibent unde superbiae progenies enascitur; progenies autem sunt δυσσεβῆ ἔργα ut paullo ante admonuit chorus: τὸ δυσσεβὲς γὰρ ἔργον μέτα μὲν πλείονα τίκτει (vv. 728—729).

In πολλὰς ἄνωθεν ἀρτάνας ἐμῆς δέρης
ἔλυσαν ἄλλοι πρὸς βίαν λελημμένης

(vv. 842—843) si πρὸς βίαν, ut vulgo fit, cum ἔλυσαν coniungitur, participium subsequens nude relictum admodum languet et certo caret adminiculo, nisi forte aut Schneidewini explicatione qua verbi illius vis adeo extenditur ut sit: quae in tempore (»noch zur rechten Zeit«) compre-

hendebar — ἐμοῦ enim assumi jubetur — aut Engeri interpretatione qua voc. λελημμένης ad δέρης relatum verbis exprimitur »colli correpti h. e. constricti«, omnem quae hîc exstat difficultatem expeditam atque istam librorum scripturam satis sustentatam existimas. immo participium quaerendum videtur quod et apte cum πρὸς βίαν construatur et elegantiorem ita prodat sententiam, id quod equidem perpetrari puto scribendo

πολλὰς ἄνωθεν ἀρτάνας ἐμῆς δέρης
ἔλυσαν ἄλλοι πρὸς βίαν ἀνειμένης

qua in scriptura sive ad ἐμῆς δέρης sive ad ἐμοῦ quod ex pronomine possessivo elici potest verba πρὸς βίαν ἀνειμένης referre mavis, acute sane ac subtiliter dicta ea invenientur; nam praeter consuetudinem atque opinionem re vera hîc fit ut invitus aliquis dimittatur solvatur liberetur.

Ad emendandam stasimi IV. stropham secundam quod Rauchensteinius correxit πλησμονᾶς pro vulg. πημονᾶς permultum habet commendationis. praeterea ipsa sententiarum verborumque structura id effici videtur ut in sequentibus (v. 979) πολλά τ' ἄν in πολλὰ δ' αὖ (immo-potius) immutandum sit. — Item v. 1400 expeditior magisque profluens evadit sine dubio oratio, si ὁ δ' αὖ substituitur pro librorum scriptura κεῖται quae iam ideo vitii suspitionem movere debebat, quod omnis deest inter utramque sententiam copulatio ac transitus, nisi forte ante v. 1400 alium arbitraris excidisse versum. quod autem cum mihi reprobandum videretur, minutis aliquot mutationibus usus totum locum talem in modum transformare satius duxi:

οὗτος γὰρ ἡμῖν ἀσπὶς οὐ μικρὰ θράσους·
ὁ δ' αὖ, γυναικὸς τῆςδε λυμαντήριος,
Χρυσηΐδων μείλιγμα τῶν ὑπ' Ἰλίῳ,
ἥ τ' αἰχμάλωτος ἥδε καὶ τερασκόπος
καὶ κοινόλεκτρος τοῦδε θεσφατηλόγος
πιστὴ ξυνευνος, ναυτίλων δὲ σελμάτων
ἰσοτριβής — ἄτιμά γ' οὐκ ἐπραξάτην·

ὁ μὲν γὰρ οὕτως, ἡ δέ τοι κύκνου δίκην
τὸν ὕστατον μέλψασα θανάσιμον γόον
κεῖται φιλήτωρ τοῦδ᾽· ἐμοὶ δ᾽ ἐπήγαγεν
εὐνῆς παροψώνημα τῆς ἐμῆς χλιδῆς.

ὁ δ᾽ αὖ Agamemnonis, ἥ — ἥδε Cassandrae significat corpus; utrumque enim in scaena conspicitur machina illa quod ἐκκύκλημα dicebatur admota unde Clytaemnestra quoque inter mariti captivaeque corpora stans cum choro miscet sermones. quae vero inde ab ὁ μὲν γὰρ οὕτως usque ad orationis finem sequuntur κατ᾽ 'ἐπεξήγησιν antecedentem apodosin quae est ἄτιμά γ 'οὐκ ἐπραξάτην accuratius explicant. sed ad ὁ μὲν γὰρ οὕτως non ut alii ἔπραξεν ex prioribus, sed ex sequente enunciationis parte κεῖται assumendum censeo; voc. οὕτως autem participiali quae dicitur enunciationi κύκνου δίκην μέλψασα θανάσιμον γόον tali modo respondet: »hic quidem iacet ut iacet« h. e. necopinato trucidatus occubuit neque, ut pellex ista caedem praesagiens, longos antea ciebat lugubrium cantilenarum fletus. verba deinde ἐμοὶ δ᾽ ἐπήγαγεν κτλ. prioribus annexa sunt παρατακτικῶς, quae germanice ita exprimas: sie, die er meinem Liebesreize als leckere Lagerzukost an die Seite stellte. denique pro ἄτιμα δ᾽ οὐκ quod vulgo legitur scripsi ἄτιμά γ 'οὐκ cuius particulae γέ usum Kruegerus illustrat in gr. gr. § 69, 15. adn. 1. iam vero si quis miretur quo pacto fieri potuerit, ut tam simplicia atque usitata verba qualia sunt ὁ δ᾽ αὖ loco sint mota per κεῖται quod nunc praebent libri, id ex ineunte equidem versu 1409 aut casu huc deerrasse aut pristini vocabuli vestigiis obliteratis consulto bonoque igitur animo suppositum crediderim.

Vv. 971—972 = 984—985. Utrumque locum disturbatum et strophicum et antistrophicum in ordinem redigere frustra adhuc editores elaborasse videntur. ex eis quae in antistropha libri praebent sana sunt et recte cum quod ad rem tum quod ad metrum se habent — duo enim sunt trimetri dact. cat. —:

οὐδὲ τὸν ὀρθοδαῆ
τῶν φθιμένων ανάγειν.

vocabulum subsequens Ζεύς quod secundo versui adiici vetat metri genus mittamus in praesens, sed ratum habeamus ea quae deinde legantur »αὖτ' (αὔτ') ἔπαυσ' ἐπ' ἀβλαβείᾳ« integrum probumque efficere versum dimetrum troch. acat., quamvis plane absurda sint ét ipsa iam per se damnentur verba αὖτ' ἔπαυσ'. iam vero locum strophicum respice: optime congruit καὶ πότμος εὐθυπορῶν cum οὐδὲ τὸν ὀρθοδαῆ, respuunt vero antistrophae metrum quae illic sequuntur verba αἰδρὸς ἔπαισεν ἄφαντον ἕρμα, cum neque in τῶν φθιμένων ἀνάγειν quadrent neque in Ζεὺς αὖτ' ἔπ. ἐπ' ἀβλ. quid igitur statuendum videtur de αὖτ' ἔπαυσ' illo? loci strophici, ni fallor, sunt verba, nisi quod levi scripturae mendo deformata, abiit enim ἔπαισ' in ἔπαυσ', et talem in modum vitiosa eademque mutila librorum lectio transcribenda videtur:

καὶ πότμος εὐθυπορῶν
ἀν ρὸς υ — υυ —
αὖτ' ἔπαισ' ἄφαντον ἕρμα.

atque haec verba strophica αὖτ' ἔπαισ' quacunque de causa iterum scripta etiam in versum antistrophicum irrepsisse et hinc iustum pristinumque quod ad οὐδὲ Ζεὺς pertineret vocabulum loco movisse, loco strophico autem inter ἀνδρὸς et ἔπαισ' compluria verba in his etiam αὖτ' [nonne εἶτ?] excidisse puta. quae si recte divinavimus vv. antistrophicos in hanc formam redire consentaneum est:

οὐδὲ τὸν ὀρθοδαῆ
τῶν φθιμένων ἀνάγειν
Ζεὺς υ — ἐπ' ἀβλαβείᾳ.

lectionem ἐπ' ἀβλαβείᾳ alteri praetuli quae est ἐπ' εὐλαβείᾳ, quod iure factum esse et scholii huic loco adscripti verbis ὥςτε μὴ ἔτι βλαβῆναι et ipsius loci argumento extra omnem dubitationem positum videtur; pluribus hac de re disseruit Engerus in Muetz. annall. l. l. p. 729. verum scholion illud esse depravatum et aliquo laborare mendo manu id tenetur: scholia autem et alia id genus grammaticorum

commentariola satis constat non solum neglegenter a librariis descripta, sed etiam pro illorum arbitrio inscitiaque esse immutata. quod hoc loco usu venisse arbitrans in antiquioribus libris interpretamentum ad ἐπ' ἀβλαβείᾳ adscriptum fuisse suspicor eiusmodi: ὥστε μὴ οὐ βλαβῆναι (h. e. non impune id fieri passus est Iup.)· ἐκεραύνωσεν γὰρ· τὸν Ἀσκληπιὸν ἀναστήσαντα τὸν Ἱππόλυτον, postea autem cum ipsis poetae verbis in monstruosam quae nunc exhibetur formam abiisse. iam vero ad explendam illam quae post Ζεύς exstitit lacunam num ionica forma ἐᾶσ' uti liceat in medio relinquatur.

In versu 1102 qui in codd. Med. et Guelf. ita scriptus exstat: ἀκόρεστος βοαῖς (βοᾷς) φεῦ ταλαιναῖς (ταλαίναις?, ταλαίνας) φρεσίν, vocabulum φεῦ perquam male huc cadens eo consilio interiectum apparet, ut ad metri normam versus ille strophicus accommodaretur versui antistrophico qui sine ulla discrepantia sic scriptus legitur: μελοτυπεῖς ὁμοῦ τ' ὀρθίοις ἐν νόμοις neque is tamen recte se habens. ac primum quidem quod ad locum strophicum, si et codicum memoriae vis satisfacere et concinnae verborum compositioni, haud scio an ita scribendo ad pristinam integritatem eum revocaveris:

οἷά τις ξουθὰ
ἀκορέτως βοᾷ, ταλαίναις φρεσὶν
Ἴτυν Ἴτυν στένουσ', ἀμφιθαλῆ κακοῖς
ἀηδὼν βίον.

etenim ἀκορέτως βοᾷ vetustiori adhibita orthographia sic erat scriptum AKOPETOCBOAI, cui posteriori vocabulo sigma superscriptum, quo scilicet significaretur ἀκόρετος βοαῖς scribendum esse, mox prava ex intellegentia verborum, tamquam v. βοαι cum verbo θροεῖς quod paullo ante legitur exaequari deberet, in formam βοᾷς cum eo coaluit. — iam ut ad locum antistrophicum transeamus, poetam vv. 1111 et 1112, ne longus sim, ita edidisse probabile est:

τί δ' ἐπίφοβα δυσφάτῳ κλαγγᾷ
μελοτυπεῖς σὺν ὀρθίοισιν νομοις;

»cur autem terribilia canis infausta voce idque numerosis istis cum modis clare arguteque sonantibus?« τί δ' ἐπίφοβα iam Hermannus praestare adnotavit quam quod vulgo legitur τὰ δ' ἐπίφοβα: ὁμοῦ quod habent libri ex glossemate praepositioni σύν superscripto ortum videtur: τ' post ὁμοῦ hiatus tollendi causa suppositum apparet: praepositione σύν semel detrusa pro eaque ὁμοῦ τ' recepto fieri non potuit quin ὀρθίοισιν νόμοις in ὀρθίοις ἐν νόμοις discerperetur (ὀρθίοις ἐννόμοις Ald. et Rob,): cum ὀρθίοις σὺν νόμοις conferatur v. c. σὺν δακρύοις v. 1514, alia similia.

Medii formam περεβάλλοντο qui retinent v. 1106 utpote a libris traditam, hac in sciiptura connivere potius videntur quam comprobare eam; nam uno saltem loco aliunde allato talem dicendi insolentiam confirmare debebant. at in contrarium valent duo quos apposuisse satis erit loci Simonidei in frg. 96:

Ἄσβεστον κλέος οἵδε φίλῃ περὶ πατρίδι θέντες
κυάνεον θανάτου ἀμφεβάλλοντο νέφος

et frg. 103:

Οὗτος Ἀδειμάντου κείνου τάφος, οὗ διὰ βουλὰς
Ἑλλὰς ἐλευθερίας ἀμφέθετο στέφανον.

nullo igitur pacto Aeschylus scribere potuit οἱ θεοὶ περεβάλλοντό οἱ h. e. ἀηδόνι πτεροφόρον δέμας. sed in codicis Med. lectione quae est περεβάλλοντο γάρ οἱ extrema illa syllaba — το nil aliud haberi potest, quam contiguae syllabae γάρ ob literarum similitudinem (ΤΟ — ΓΡ?) perperam facta iteratio. quam ob rem vix dubitari potest quin περέβαλον γάρ οἱ — una enim syllaba longius extensi sunt isti numeri — restituendum sit quod Schuetzium quoque coniectura iam assecutum video.

V. 1146 non εἰσήκειν Aeschylum scripsisse arbitror, quod vulgare est atque amplioris notionis, sed εἰσηχεῖν quo significantius sine dubio denotatur res quae hic agitur: »vaticinium meum iam sicut ventus matutinus versus s. sub solis ortum flans (in hanc domum) insonare videtur.«

voc. *εἰςηχεῖν* videlicet non nove dictum existimandum est ideo qnod non nisi aetatis posterioris esse reperitur (vid. Steph. thes. l. gr. s. v.), nam omnibus temporibus a quoquo poeta sine ullo negotio derivari potuit.

1228—1233. Et a librorum auctoritate, quod aliter fieri nequit, aliquantulum recedens et ab Hermanni ceterorumque editorum quam loci huius emendandi persecuti sunt ratione cohibens assensionem non sine probabilitate auctoris verba ita scribendo deprehendisse mihi videor:

ἰδοὺ δ' Ἀπόλλων αὐτὸς ἐκδύων ἐμὲ
χρηστηρίαν ἐσθῆτ' ἐποπτεύσας ποτὲ
κἀν τοῖςδε κόσμοις καταγελωμένην ἐμὲ
φίλων ὑπ' ἐχθρῶν οὐ διχορρ.πως, μάτην·
καλουμένη δέ, Φοιτὰς ὣς ἀγύρτρια,
πτωχὸς τάλαινα λιμοθνὴς ἠνεσχόμην.
καὶ νῦν κτλ.

post *ἐποπτεύσας* igitur pro l. v. *δέ με* dedi *ποτέ* idque ea intellegentia positum volo, ut opponatur eis quae »*νῦν*, in praesentia» vel fiunt: *ἰδοὺ δ' Ἀπόλλων-ἐκδύων* eqs., vel facta sunt: *καὶ νῦν ὁ μάντις — ἐμὲ | ἀπήγαγ' ἐς τοιάςδε θανασίμους τύχας.* deinde *μέτα* quod vitiose sine dubio scriptum praebent libri mutavi in *ἐμέ*; nam quod inde effecit Hermannus *μέγα* nimis languet subsequente *οὐ διχορρόπως.* tum scripturam *Φοιτὰς ὣς ἀγύρτρια* (libri: *Φοιτὰς ὡς ἀγ.*) et quomodo haec verba a ceteris distinxi, eo valere satis patet ut Cassandra conviciis se iactam queratur qualia in circulatrices mendicas iaci soleant. denique *μάτην* interpretor »temere h. e. falso, immerito, sine iusta causa«, nimirum quod Cassandra semper *ἀληθόμαντις*, nunquam *ψευδόμαντις* inveniebatur; itaque idem fere hîc significat *μάτην* quod *ἄλλως*, velut in Eurip. I. A. 800: *μῦθοι τάδ' ἐς ἀνθρώπους ἤνεγκαν παρὰ καιρόν, ἄλλως.*, quocum vel coniunctum *μάτην* occurrit in Eurip. Hec. 489: *τί λέξω; πότερά σ' ἀνθρώπους ὁρᾶν; ἢ δόξαν ἄλλως τήνδε κεκτῆσθαι μάτην ψευδῆ δοκοῦντας δαιμόνων εἶναι γένος.*

Versus 1258 scriptura qualem quidem assecutus est Hermannus: οὐκ ἔστ' ἄλυξις, οὔ, ξένοι, χρόνον πλέω, ut si imminentem mortem iam aliquamdiu effugere potuisset Cassandra, vera eius verba in pravam sententiam plane invertit. atqui libri mss. οὐ (οὔ) ξένοι χρόνῳ πλέω exhibent, quod scienter atque aptissime ad sensum Rauchensteinius emendavit scribendo: — οὔ· τί μοι χρόνῳ πλέον: sed rectius fortasse neque tamen longius de traditae lectionis vestigiis declinans:

οὐκ ἔστ' ἄλυξις οὐδέ μοι χρόνῳ πλέον.

ita ut duae syllabae singulares — ΔΕΜΟΙ librarii incuria in unum novumque vocabulum ξένοι comprehensae videantur. — Versus subsequens ea qua exhibent eum libri scriptura optimo iure retineri potest. verba enim ὁ δ' ὕστατός γε τοῦ χρόνου πρεσβεύεται, quibus chori continetur responsio, vix in aliam sententiam accipi possunt quam ut explicentur: quod ad tempus, postremum scito prima tenere« h. e, eum qui sit postremus primi loco habendum esse quatenus plurimum ei supersit temporis ad consilia pro re ac tèmpore et capienda et exsequenda. atque nil interest, utrum ad ὕστατος an ad πρεσβεύεται genitivum τοῦ χρόνου referendum censeas; utraque enim verbornm structura in eandem sententiam redit. quae vero cum optime quadret in rem, minime erat quod vir quidam doctissimus traditae scripturae vitium subesse existimans hunc in modum eam corrigeret: ὁ δ' ὕστατος γέ του χρόνος πρεσβεύεται.

1283—1285. Foede sane deformata sunt quae hoc loco in libris scripta leguntur: τοῖς ἐμοῖς τιμαόροις | ἐχθροῖς φονεῦσι τοῖς ἐμοῖς τίνειν ὁμοῦ. quo igitur simplicius planiusque quispiam ea correxerit, eo probabilius pristina auctoris verba repperisse sibi persuadeat. et aliquatenus id equidem mihi assecutus esse videor scribendo:

ἡλίῳ δ' ἐπεύχομαι
πρὸς ὕστατον φῶς τοῖς ἐμοῖς τιμαόροις
ἐχθροὺς φόνοισι τόνδ' ἐμὸν τίνειν φόνον
δούλης θανούσης εὐμαροῦς χειρώματος.

»ut inimici mei ipsorum suppliciis hoc meum supplicium rependant meis vindicibus.« quibus similia sunt quae infra de Agamemnone leguntur vv. 1299—1300:

καὶ τοῖσι θανοῦσι θανὼν ἄλλων
ποινὰς· θανάτων ἐπικραίνει.

verum huius loci quae manifesto in libris exstat corruptela si quaeris unde profecta sit putanda, a verisimilitudine haec statuere non abhorrere videtur: quia verborum structura τόνδ' ἐμὸν φόνον δούλης θανούσης parum sit perspecta, voc. φόνον primum in ἐμοῦ tum in ὁμοῦ abiisse: quo semel mutato accusativum τὸν ἐμόν cum nil iam quo referretur haberet, ad antecedentem dativum ἐχθροῖς φονεῦσι — sic enim inter sese iam pone coiisse verba ἐχθροὺς φόνοισι — accomodatum esse. quodsi hac nostra emendandi ratione et sententiae et librorum memoriae non male satisfactum videatur, id profecto mirari liceat Hermannum et qui eius vestigia sunt persecuti tanti fecisse Hesychii glossam quae est: ἀσκεύοις· ψιλοῖς, ἀπαρασκεύοις· Αἰσχύλος Ἀγαμέμνονι, ut ad denuo quasi effingendum hunc locum causam inde repetere non dubitarent.

1477—1480. In explicanda vexati huius loci sententia Schneidewino accidit, ut subtilioris interpretis partes agens in dumeta quasi correperet. planius contra veriusque verba enucleavit Engerus. quibus singula quaedam addere liceat. voc. βιάζεσθαι sensu passivo hîc dictum est significans: »vi, invitum accersi, adigi«; δέ quod sequitur est »namque« num re vera per enallagen poeta scripserit ὁμόσποροι ἐπιρροαὶ αἱμάτων pro ὁμοσπόρων ἐπιρροαὶ αἱμάτων in medio relinquatur: addubitare utique licet, quia ipsius rei naturae quae αἵματα ὁμόσπορα unam eamque primariam notionem (nos »Vetternblut«; idem quod πάχνη κουροβόρος v. 1480) efficere ostendit illud structurae genus parum convenit: μέλας Ἄρης »Mars ater h. e. funestus, exitialis« eadem omnino significatione dictum apparet qua paucis ante versibus πατρόθεν-ἀλάστωρ, qua Ἄτη vel Ἐρινύς velut in Sept. 956. 972 Ἐρινὺς μέλαινα; ibidem 680 μελαναιγὶς

Ἐρινύς; in Agam. 739 Ἄτη *μέλαινα*: pro *δὲ καί* certissimam recipio Buttleri emendationem *δίκην* sive potius *δίκαν*. iam *ὅποι* si retinendum censes, pro ea quam modo dedi interpretatione verbi *βιάζεσθαι* ita explicari potest: *μέλας Ἄρης βίᾳ ἐπάγεται ἐνθάδε* (h. e. in Atridarum, in his potissimum in Agamemnonis domum), *ὅποι προβαίνων δίκαν — πορέξει*. at si forte quispiam offenderetur verborum collocatione *ὅποι δίκαν προβαίνων παρέξει*, ut haec quoque praeverteretur offensio, nil superesset nisi ut *ὅποι* quae est librorum lectio in *ὅπως* mutaretur quo facto hanc proderet locus sententiam: »consanguinei cruoris profusione vi accersitur Mars ater, ut — tanquam *Δίκης πρόμαχος* — progrediens (*προβαίνων* absolute positum eadem vi dictum tum intellegendum esset atque Homerica illa *ὦκα προβιβῶν, κραιπνὰ* s. *κοῦφα προβιβάς*) rori nativoro praebeat ultionem.« sed utrumcunque praestare videbitur, nullo quidem pacto verba *ὅποι δίκαν — παρέξει* in eam sententiam dicta accipi possunt, ut vertantur »usque eo progrediens, donec — poenam sumserit«; huc autem ea detorsit Engerus.

Vv. 1581—1582:

σὺ δ' ἄνδρα τόνδε φῂς ἑκὼν κατακτανεῖν,
μόνος δ' ἐποικτον τόνδε βουλεῦσαι φόνον.

qui de apertissima verborum *ἑκὼν κατακτανεῖν* significatione quae est »consulto et de industria caedem perpetrasse« tantum velit detrahere, ut nil valeant nisi »dedita opera caedem cogitasse« [»geflissentlich darauf gesonnen haben, darauf bedacht gewesen sein« Schneidew.], is num cuiquam hanc interpretandi rationem possit probare admodum dubito: id igitur sibi quisque habeat. sed versus subsequentis verba *μόνος δ' ἐποικτον τόνδε βουλεῦσαι φόνον* non habent quibus apte opposita dicantur. accedit quod ipse Aegisthus in oratione antecedente nusquam se facinoris exsecutorem ostendit, ne societatem quidem caedis perpetratae diserte sibi vindicat, immo eum tantummodo se profitetur qui totam funesti consilii rationem invenerit et Clytaemnestrae subdiderit (cf. vv. 1572, 1577, 1596, 1603, 1614), quae contra solam in se consilii exsecutionem

suscepisse identidem gloriatur, velut v. 1365: νεκρὸς δὲ τῆσδε δεξιᾶς χερὸς ἔργον et mox infra v. 1395: τόνδ' ἔσφαξ' ἐγώ. egregie denique cum eis quae ipse protulit Aegisthus convenit illud quod chorus Aegistho crimini dat vv. 1603—1604:

ὃς οὐκ, ἐπειδὴ τῷδ' ἐβούλευσας μόρον
δρᾶσαι τόδ' ἔργον οὐκ ἔτλης αὐτοκτόνως.

item v. 1613—1614: — τὸν ἄνδρα τόνδ' ἀπὸ ψυχῆς κακῆς
οὐκ αὐτὸς ἠνάριζες, ἀλλὰ σοὶ γυνή.

discrepat contra ac plane adversatur quod illa produnt verba σὺ δ' ἄνδρα τόνδε φῂς ἑκὼν κατακτανεῖν. verum ne tum quidem, si ad eam quam Schneidewino exprobravimus sententiam ea attenuare placet, ferri possunt quippe quae si eo valerent, et plane essent otiosa et fatuitatis cuiusdam amentiaequae arguerent poetam: namque eorum quae Aegisthus modo dixit aliqua tantum habita ratione insulse hercle faceret chorus si in responsione »de industria illum« — quis potest dubitare? — »caedem meditatum esse« opprobraret. et quidnam vafer iste ac fraudulentus homo nisi attente deditaque opera molitur? quocirca iam non vereor, ne quis nodum me in scirpo quaesivisse criminetur, cum vulgari versus illius lectione adeo in dubium vocata levi quadam verborum correctione iustam sententiam recuperandam esse puto. itaque scriptorem dedisse coniicio:

σὺ δ' ἄνδρα τόνδε φῂς μὲν οὐ κατακτανεῖν,
μόνος δ' ἔποικτον τόνδε βουλεῦσαι φόνον.